

77.

MEMORIAM

VIRI

MAGNIFICI NOBILISSIMI ET CONSULTISSIMI,

DOMINI

B R O D E R I P A U L I,

I. U. D. & REIP. HAMBURG.

CONSULIS MERITISSIMI

NOMINE

PROFESSORII COLLEGII

POSTERITATI COMMENDABAT

HENRICUS SIVERUS,


GYMNASII HAMB. PROF. PUBL.

ET NUNC RECTOR

IPSO EXE~~QUALI~~ DIE, QUI FRAT^{XXVII} JAN.

A. C. clo~~loc~~ LXXX.

Typis GEORGII REBENLINI, Senatus, Gymnasii
& Scholæ Ioan. Typogr.



LECTORI S.

RODERUM PAULI, Magnificum Virum, & Hamburgenis Reip. Advocatum, Syndicu[m] & Consulem per annos L p[re]clarè meriti gratæ Posteritati siftere, & schematismum biographicum Senis octoginta duorum annorum exellentium virorum vitis annexetere propter personæ dignitatem & meritorum copiam difficultus esse video, quām non nemo putaverit. Præstabit tamen summa decerpissè cacumina, quām tacendo merita DN. CONSULIS suppressisse, ne aut ingratu, aut silentio vitam transigentes, aut laude digna dissimulantes videri possimus. Malumus igitur pauca loqui, aliisq[ue] uberiorem de vita ejus ansam præbere differendi, imo commentandi, quām intempestivè & sine ratione tacere. Recepto more ducamus lineas in tabella, quæ nostra phrasis est; totum alij curriculum, vitamq[ue] Ejus, tum ut in luce omnium tum ut privatim acta est, omnibus circumstantijs locupletatam non sine laudum cumulo in scenam afferant, nos contenti indice digito tria illa potiora capita: Ingressum, Progressum & Egressum Meritissimi Dn. CONSULIS nudè indicasse, accingimur op[er]i. Ingressus est hanc lucem A.C.M.D LXXXVIII d. III Aug. in civitate Husensi, satis in vicino Ducatu notâ, Avo Paterno, Nobil. & Amplissimo Viro Dn. JACOBO PAULI, ejusdem civitatis Præside à Serenissimo Principe constituto: Materno verò Nobil. & Prudentissimo Viro Dn. BRODERO DOSE, Consulum dictæ civitatis & numero & ordine quoq[ue] primo. Patreni venerabatur Amplissimum

plissimum Dn. JOHANNEM PAULI, Senatorem
 & hunc Hulenlem, quem hujus seculi anno XIX
 mense ipso d. III. sibi erectum pietatis, quæ filium de-
 cet, memor multis composuit Lacrymis. Ipse no-
 vennis puer adhuc nobil. & præstantiss. Matrem
 ANNAM, natam DOSIAM, laudati Dn. BRODERI confu-
 lis Filiam elatam luxit, quam jacturam annis unde-
 cim ante beatam Patris optimi emigrationem exper-
 tus est, A. C. MDCVII d. XV. Augusti. Triennio an-
 te svavisimi Parentis è vita excessum, natus annos
 XVII, Lunæburgum mittitur. Erat is epochæ Chir-
 stianorum MDCXV. Substitut ibidem ad nup-
 cium usq; paternæ mortis, quo tempore insignis ille
 fili Magister & didacticus celebris, qui postea factus
 est noster, Dn. M. Johannes Starckius, ibidem Scho-
 læ Rectoris munere fungebatur, qui jam illâ ætate
 (erat enim vix viginti annos natus) solidiorem ejus
 in fundamentis Christianæ Fidei cognitionem, cum
 insigni græci latiniq; sermonis peritiâ, publicè pri-
 vatimq; non semel confessus est & prædicavit, hoc
 addens: *gratissimorum discipulorum numero bunc in pris-*
mis albo lapillo adscribendum. Neque unquam memo-
 riām bene meriti informatoris in extrema ætate Beatus
 Dn. CONSUL deposuit, cui religio erat, sine præfa-
 tione honoris optimi Starckij, per quenam profecerat
 vel obiter saltem meminisse. Sed comitabimur illum
 Witebergam euntem, quod xix hujus seculi anno
 factum est, quo tempore justo DEI judicio Germania
 nostra bello gravi & misera monetæ corruptione
 affligebatur. Post biennium Lipsiam adjit, ibique
 exegit nobile triennium à Celeberr. JC. Dn. Wilhelmi
 Smuckii & aliorum virorum, quorum literatus Or-
 bis novit nomina, ore pendens. Harum Academiarum
 laudes promere velle esset faciem accendere in meridie.
 Iactis ita in studio Humanitatis, Historiarum, Politi-
 co, & Juris tandem Publici & Privati fundamentis
 xxvi. annos natus Argentinam, egregium illud non
 Aliatiae tantum, sed totius Germaniae decus, propera-
 bat,

bāt, ubi per semestre tantūm spatium; ut & in celebri Rauracorum & Helvetiorum Basilea [quam ab Ænea Sylvio, postea Pontifice Romano, & Petro quoq; Ramo paucis, sed elegantibus verbis descriptam habemus]. substitit, nunquam otiosus, sed illud *Hoc age*, & *Dic cur hic*, semper in oculis & mente circumferens. Sed properandum, ut pernivosas Alpes, ventosasq; & difficiles, hyberno præsertim tempore, ut Chytränum Hodoeporicum vocat, in Italiā tendentem speculēmur, transcendentem cautes, & in Italiæ locis celeberrimis piè & *cum fructu studiorum* viventem. Confecto itinere, Imperialis Cameræ Iudicium per biennium: ipsa verò Magni Cæfaris aula, quæ tum Vienæ Austriæ erat, jam Pragam Bohemiæ translata, per semestre illum tenuit. Redit Helmæstadium, celeberrimam Academiam Iuliam, ejusq; Excellentibus in studio Iuris Doctoribus ita se commendat, ut applaudentibus omnibus XXXI ætatis anno hujus seculi XXIX præstandis cum laude præstitis præmisisti que, utriusq; Juris Doctor publicā auctoritate & voce renunciatus sit. Non ignotum illi, non bene vivi sine sociâ, esse hanc divinam Ordinationem, Deo gratam & Humano generi salutarem, neq; illum male consuisse illis, qui justæ & proiectæ ætatis sunt, qui dixerit: *Expers conjugii non bene vivit homo.* Circumspiciens igitur, quam thori eligeret consortem, divino tatu invenit nobil. & castiss. virginem CATHARINAM, præstantissimam & integerrimi Viri DANIELIS von Langen/ civis & Mercatoris Hamburgensis Filiam carissimam, cum qua per XXXIV annos in conjugio suavi, sine querelâ vixit, sex thori sva visimis Pignoribus, filius quatuor, duabus verò filiabus cælitus donatus. ULRICUM dico, magnæ spei sed brevis ævi puerum, ut pote, qui sexennis ultimo anni XXXVI die vitam cum morte commutarit. Neq; superstes fuit aliud par svavissimum optimorum filiorum fratrumq; JOHANNEM & DOLEPHUM dico, & DANIELEM. Priorem enim eodem

5

eodem XXXVI anno, sed II. Februarii die, & fratrem
 eius anno LIV d. xii. Decemb. vidit effterri tristis &
 filiorum carissimorum vitæ non minus, quam bona
 vitæ sive accuratae educationis amantissimus Pater.
 Placuit tamen Divinæ Majestati numerum Libero-
 rum Magnifici Dn. CONSULIS senarium in duas divide-
 re partes & unam quidem recipere in cælum, alte-
 ram verò in præsentissimum ejus solatium Patriæq;
 commodum relinquere terris: utinam adhuc diu
 Nobilissimum & Consultissimum Virum Dn. ULRI-
 CUM PAULI, U. J. L. & Advocatum putà, quo
 filio DEUS illum non longè post mortem filii ~~quavipus~~
 beare voluit, cum pari Nobil. & præstantissima-
 rum Sororum, ANNA, inquam, CATHARINA cum
 V. Nobil. & Consultissimo Dn: ALBERTO SCHRÖ-
 TERINGIO U. J. L. b. m. casto matrimonii vin-
 culo copulatâ, & MARIA ELISABETHA, quæ ve-
 nit in thorū V. Nobilif. & Amplif. Dn. IOANNIS HEN-
 RICI SIMONIS, U. J. D. & causarum Patroni. Ne-
 potes neptesq; sex vidit Avus suavisissimus, ex quibus
 ruente anno præcedente par unum desideravit. Su-
 perstites servet Deus regatq;. Non passa sunt ma-
 gna cælitus concessa dona latere in obscuro Magnifi-
 cum Dn. CONSULEM. Ut igitur nihil dicamus de
 oblatis alibi vocationibus, neq; de novenniō illo,
 quo patronum egit causarum in diversis judiciis, &
 alia nonnulla omittamus scientes, hoc addimus,
 lumen à Rep. nostra Syndicatus honori & oneri A. C.
 XXXIX d. XII Martii admotum esse, quo in officio
 gravissimo honoratissimoq; per annos XXX fidelem
 Reipublicæ operam præstitit. Loquantur, me tacen-
 te, scripta publica, labores, itinera, pericula. Om-
 nia pro Salute Reipublicæ. Vir magni ingenii, ra-
 ræq; diligentiae, nunquam ferè otiosum trahēbat
 spiritum, perdius & quandoq; pernoctans in meditationi-
 bus, colloquiis, lectione, scriptiorie. Loquantur suscepta
 legationes ad Magni Cæsaris Aulam, Comitia &
 Con-

Conventus Imperii, Reges, Electores & Principes, &
 fidelissimæ quidem diligentissimæque semper, saepius
 quoque felicissimæ, DEO gratiam largiente, expe-
 ditiones. Quid de ejus in Gymnasium nostrum & Bi-
 bliothecam Publicam Haniburgensem meritis dicam?
 Dicam nihil, cum vel sola haec res justam exigat o-
 rationem. Auctoritate igitur conspicuum, meritissq;
 & rerum usu, tum ætate gravem, [erat enim anno
 rum duorum & septuaginta] CONSULEM Reip. ele-
 gunt vidimus, cui officio quam arduo, quam difficulti,
 cuius tot molestia comites sunt, & in quo vere:
fractus honoris oneris, fractus honoris onus, pro viribus Di-
 vinitus concessis per decennium fere præfuit. Præ-
 fuisse ei diutius & ex votô, nisi gravi lapsu esset attritus
 octogenarius. Dum enim aliquid colligit & multa
 mente volvit, per lubricum pavimentum, fallente ve-
 stigio, cecidit, non sine præsentium consternatione,
 qui tamen, dum prosteritur subito, frustra extende-
 bant dextras. Lecto igitur affixus jactuit per annum
 integrum, neq; tamen ita affixus & afflictus omniem
 pro Reip. Salutem curam deponiere potuit. Rationes
 interire vita subducens humillimè divinam deprecatus
 est Majestatem. Ita enim ad beatum ex hac mortali-
 tate exitum se preparabat, vitaque latetur & robore exi-
 tus inter gemitus & suspiria liberorum pio & placido o-
 bitu SERVATORI animam reddidit. Factum id A.
 Christiano LXXX, d. xix Januarii, circa dimidiatam ter-
 tam pomeridianam, postquam in terris annos LXXXI,
 menses v & dies XVI vixerat. Defuncto corpori quod
 terræ in templo Cathariniano credetur, iusta solventur
 hodie, inque funere ornando memoriaque Meritisimi
 Dn. Consulis conservanda desiderabitur nihil. Fuit ille,
 sed nobis. Est adhuc, eritque in gloriam DEI & gau-
 dium suum æternum. Translatus est nobisque sui im-
 mortalem reliquit memoriam. Fidem memoriae Se-
 natus Populique & tot magnorum virorum extra ur-
 bem,

7

bem, quibus innotuit, & cum quibus versatus est, appellamus. Non cum corpore extinguuntur animæ. Placet ita DEO nostro, placet Christianis, placet Sapientibus. Illud [Si] Taciti (*in vita Agricolæ c. 46.*) non moramur, sed dubitationem potius dolemus gentilis Romani Equitis. Fundamus pias ad DEUM preces, ut jacturam resarciat; ut Ecclesiæ, Gymnasio & Scholis, utque universæ bene sit Republicæ, & omnibus in illa viventibus. Confoletur ille, quarum corda proptiore dolore concussa sunt, Nobilissimas in luctu constitutas familias, servetq; illas in posterum ab istiusmodi cladibus diu liberas. Tu verò Meritisime DN. CONSUL, tot pro Patria curis & molestiis contrite, tot exhauste laboribus, iisq; molestis & operosis, in quibus tamen Te patientem præbuisti & impigrum, quia ad quietem Te composuisti, quieti traditus dormi, usque dum finito hujus ultimæ tempestatis decursu à Divinæ Majestatis Legato, tubicine mortuos excitante & compellente, ultima nobis dicatur dies, ubi, quotquot in CHRISTO obdormiverunt, in cœlo summo honore erunt & nomine, cuj⁹ magnitudinem & Majestatem soli. Omnipotentissimo notam, piisque expectandam in hac tenebricosa valle aut capere aut describere mortali-um poterit nemo. Hanc tu, mihi JESU, ΘΕΑΝΘΡΑΠΟ-
juste Judge nobis largire.

Scribent. Hamburgi, A.C. 1711. Mense Octobri. Anno Regni D[omi]ni MDCCLXI. Etiam in die XXIV. Tunc vero istiusmodi obediens. O dignissimi inimici! A cupido in glorio otiori subelli ait. H. sicut tu dicitur ab invicto ait. Non enim tu nisi superiore quibus d[omi]ni. Tunc vero istiusmodi obediens. O dignissimi inimici! A cupido in glorio otiori subelli ait. H. sicut tu dicitur ab invicto ait. Non enim tu nisi superiore quibus d[omi]ni. Tunc vero istiusmodi obediens. O dignissimi inimici! A cupido in glorio otiori subelli ait. H. sicut tu dicitur ab invicto ait. Non enim tu nisi superiore quibus d[omi]ni. Tunc vero istiusmodi obediens. O dignissimi inimici! A cupido in glorio otiori subelli ait. H. sicut tu dicitur ab invicto ait. Non enim tu nisi superiore quibus d[omi]ni.